

moveri dicitur; et hinc dicitur Deus prædeterminare illam, non formaliter et quasi extrinsece per suum propositum æternum, ut in priori significatione verbi *prædeterminandi* dicebamus, nec etiam formaliter intrinsece, quia hæc ipsa motio efficax, quatenus est intrinsece inhærens voluntati, illam determinat formaliter, ut jam satis explicavi; sed dicitur Deus prædeterminare voluntatem effective, tum quia facit in illa internam prædeterminationem formalem, tum etiam quia illam efficientiam habet solus Deus sine cooperatione voluntatis, præveniendo omnino usum libertatis ejus. Denique dici etiam potest *prædeterminatio* per comparisonem ad meritum, quia antecedit illud, quanquam hoc habet locum in primo auxilio efficaci, non vero universaliter in omnibus sequentibus, ut postea videbimus.

15. At vero, si gratia efficax non determinet voluntatem in actu primo, sed immediate ad actum, vel per actum secundum, tum etiam particula *præ* non potest significare antecessorem durationis respectu effectus, seu consensus liberi voluntatis, quia involvit ipsum actum secundum, vel formaliter, quia ad illum immediate terminatur; unde etiam antecessio secundum realem ordinem naturæ et causalitatis difficile ibi explicatur, quia actio ipsa qua fit consensus voluntatis unica est et simplex; unde non potest in illa distingui aliquid prius natura et causalitate, quam aliud. Nec satisfaciet qui dixerit, per illam particulam *præ*, solum significari prioritatem in dignitate, excellentia, independentia, et in efficientia talis auxilii, quod principales partes habet in tali effectu. Hoc, inquam, non satis est, quia id totum invenitur in auxilio efficaci simultaneo et concomitante; ergo illo modo non explicatur propria prioritas auxilii prævii, quæ inveniri debet in auxilio efficaci, de quo tractamus, et per illam particulam significatur. Si ergo in ipsa determinatione actus secundi, prædeterminatio admittatur, necessarium est dicere Deum, sua motione efficaci, præcedere aliquo modo influxum voluntatis creatæ, etiamsi ad eundem terminum, seu actum secundum immediate terminetur. Unde, si gratia efficax vocetur ipsa voluntas Dei quatenus movet et trahit nostram voluntatem ad agendum, sic antecedit ordine naturæ, saltem illi virtuali, quia concurrat imperando, et trahendo nostram voluntatem, sicut voluntas nostra præcedit, movendo brachium. Non videtur autem alienum

a proprietate locutionis voluntatem ipsam Dei, ut active influentem ad extra, gratiam efficacem vocare, sicut multi censent voluntatem creandi, ut actu inferentem ex se effectum, esse activam creationem. Quod si actio ipsa consensus liberi recepta in voluntate hominis, ut est ab efficaci voluntate divina, vocetur auxilium efficax Dei, sic dicitur prædeterminare voluntatem creatam formaliter, et per particulam *præ* denotabitur actionem illam, prout procedit a speciali voluntate divina efficaci, determinate facere ut voluntas creata in eam actionem influat, et ut sic vocari prædeterminationem, quia, secundum illum respectum ad voluntatem Dei, habet quamdam antecessorem ad voluntatem hominis, cujus influxum ex necessitate quadam sibi connaturali conjunctam habet; hic enim modus antecessorem non repugnat; an vero possit gratiæ efficaci accommodari, postea videbimus.

16. *Prædeterminatio physica, cur sic dicatur.* — Superest explicanda altera particula, per quam hæc prædeterminatio *physica* appellatur. In quo imprimis adverto Francisc. Cumel, dict. lib. 1 Opusculor., disp. 4, sect. 2, conclus. 4, reprehendere hunc modum loquendi de prædeterminatione *physica*; imo addit vocabulum illud a me et a nostris esse inventum, ad improbandam aliorum sententiam. Quod autem ad me spectat, verissime affirmo illud non excogitasse, nec ab alio quam a defensoribus talis auxilii efficaci illud didicisse. Unde tantum abest ut a Patribus Dominicis reputetur a nobis inventum, ut M. Alvar., disp. 22, n. 2, affirmat non esse novum, sed antiquum in Ecclesia, et a Patribus usurpatum in eadem acceptione, qua in presenti disputatione sumitur, quod multis verbis explicare conatur. Sed quidquid sit de nominis initio aut inventione, ad explicandam peculiarem sententiam, eamque ab aliis distinguendam, necessarium fuit peculiare nomen. Et ad hunc finem illud non fuit incongruum, quia per illud explicatur hanc determinationem non esse metaphoricam, sed veram, nec tantum secundum quid, aut moralem, seu ex his quæ frequentius accidunt, ac subinde ex accidenti talem, sed esse determinationem simpliciter et ex intrinseca natura talis entitatis, seu auxilii, ac proinde esse per se talem ex aliqua propria causalitate per se. Nam juxta communem usum, etiam ecclesiasticum, ita solet illud additum *physica* usurpari. Sic enim, ad significandam veram unitatem trium personarum in Deo, dicitur esse una persona in alia naturaliter, et a Græ-

cis *physice*. Et unio Verbi ad humanitatem vocatur naturalis et *physica*, et Theologi solent vocare *physicam*, efficientiam Sacramentorum, ut declarent esse veram et realem. Ad hunc ergo modum in præsentem, ad explicandam rigorosam proprietatem hujus determinationis, illa particula *physice* determinationi adjungitur.

17. *Auxilium efficax physicum variis modis dicitur.* — Advertendum est autem variis modis posse auxilium efficax dici *physicum*; primo, in ratione entis, et hoc est verum, non tamen sufficit ad rem explicandam, quia etiam gratia excitans sufficiens est entitas *physica*, id est, vera et realis. Secundo, in ratione motionis formaliter efficientis et immutantis voluntatem, et hoc etiam non est satis, nam id etiam habet auxilium sufficiens, est enim motio *physica*, quia vere et realiter voluntatem inclinatur, et intellectum afficit et immutat, non tantum objective, sed etiam formaliter per internam Spiritus Sancti efficientiam, ut in superioribus ostensum est, et ex ipsis terminis est satis notum. Tertio, potest illa determinatio dici *physica*, propter efficientiam, quia nimirum tale auxilium *physice* efficit consensum voluntatis. Et hoc, sive sit verum, sive falsum, non sufficit, quia potest esse *physicum* principium per se influens cum voluntate in actum suum, et nihilominus non determinare voluntatem quoad exercitium actus, neque absolute, sed solum sufficienter, seu sub conditione; sic enim multi dicunt auxilium sufficiens præveniens, *physicum* principium actus, quando transit in auxilium adjuvans actu, etiamsi non determinet voluntatem illo modo; et habitus charitatis *physice* afficit voluntatem, et inclinatur illam, et cum illa efficit *physice* actum, et tamen, quia in efficientia sui actus subest dominio voluntatis, non determinat illam. De hac autem motione gratiæ efficaci, nunc inquirimus an distinguatur in hoc ab habitu et a gratia sufficiente, quod omnino determinet voluntatem, ita ut, illa posita, implicet contradictionem voluntatem non velle.

18. Quarto ergo modo dicitur *physica* prædeterminatio in ratione determinationis, et necessariæ connexionis inter entitatem talis auxilii, et actum secundum, ac influxum voluntatis in ipsum; duoque per illam vocem *physica* significantur ac denotantur: unum est illam determinationem esse simpliciter et omnino absolutam, ita ut nulla ratione aut modo impediri possit illa connexio. Aliud est

eandem determinationem fieri ex vi talis entitatis, sine aliquo respectu ad alias circumstantias, vel ad specialem voluntatem, aut præscientiam Dei, sed esse omnino intrinsecam, et naturalem illi entitati, seu auxilio. Quocirca, ne hæreamus forte in voce *physica*, qua nonnulli ejusdem opinionis uti nolunt, res ipsa spectanda est, et statuendum nihil aliud per illam indicari, nisi motionem illam talem esse, ut a solo Deo fiat in homine, et de se et sua vi naturali ac proprietate habere effectum ita determinandi voluntatem, ut voluntas non possit resistere illi, vel ut impossibile omnino sit voluntatem illam habere, et non consentire. Et hunc modum determinationis ita censeo sufficere, ut dicatur *physica* determinatio, ut, licet fingamus motionem illam præviam et efficacem, non habere *physicam* et per se efficientiam in consensum, sed per solam inhærentiam suam determinare omnino voluntatem, quasi formaliter ligando, vel impediendo illam, ne posset suum influxum suspendere, id satis foret ut sit vera et *physica* determinatio, quia formalis causalitas, quæ est a vera forma reali, *physica* est.

19. *Ad efficaciam vocationis an sit necessaria prædeterminatio physica.* — Ex his ergo satis, ut arbitror, declaratus est sensus quæstionis propositæ, neque aliquis existimet supervacaneam esse tam prolixam terminorum declarationem, quia non solum est necessaria ad vim rationum et testimoniorum penetrandam, sed etiam erit utilissima ad expediendam, cum longe majori brevitate, multa argumenta, et varia diverticula præcludenda. Præterquam quod ad intelligendum statum quæstionis et varietatem opinionum est necessaria. Primum ergo et præcipuum punctum totius controversiæ est, an ad efficaciam vocationis, seu excitantis auxilii, necessaria sit prædeterminatio *physica* voluntatis; in quo puncto duæ sunt opiniones extreme contrariæ, quas hic breviter et generatim attingam, nam postea per partes sunt fuse tractandæ.

20. *Opinio prima.* — Prima opinio simpliciter affirmat efficaciam auxilii in *physica* prædeterminatione positam esse. Cujus fundamentum generale, omissis nunc testimoniis, est, quia non potest auxilium præviæ motionis seu vocationis esse ita efficax, ut infallibiliter inferat consensum voluntatis, nisi omnino inevitabiliter determinet voluntatem ad talem consensum; sed hoc non fit nisi per *physicam* prædeterminationem: ergo. Minor evidens est ex declaratione data. Major pro-

batur, quia, posito auxilio efficaci præveniēti, consecutio actus liberi non potest esse infallibilis, nisi vel ex præscientia, vel quia immutabilis est, posito tali auxilio. Sed infallibilitas non potest primo et per se ex præscientia provenire; ergo necesse est ut eveniat ex prædeterminatione physica. Minor probatur, quia vel est sermo de præscientia absoluta, et hæc supponit præscientiam auxilii absolute futuri, et efficaciam ejus, vel de præscientia conditionata, et hæc vel nullo modo datur de talibus futuris contingentibus, quæ sit omnino certa et infallibilis, antequam præsciatur absolute futura, vel, si datur, necessario supponit sub illa conditione decretum Dei absolutum et efficacax, in quo veritas illa et certitudo fundetur, quod decretum involvit etiam efficaciam quam auxilium de se habet ad determinandam voluntatem. Et quia hoc tantum fundamento videtur præcludi via ad salvandum omne aliud auxilium prævium efficacax, quod sit potentissimum medium quo Deus exequatur absolutam prædestinationem, vel de salute electorum, vel de aliis actibus liberis quos præfinivit, ut jam supponimus, ideo ab auctoribus hujus sententiæ omni conatu et contentione impugnata est conditionalis scientia, quia, illa e medio sublata, non superest alius modus sufficiens efficaciam, præter physicam prædeterminationem. Modi autem explicandi et defendendi hanc sententiam sunt multi, et auctores ejus in illis non conveniunt, et aliqui non in omnibus punctis, sed in uno vel alio consentiunt, et ideo nunc nec auctores refero, nec alia fundamenta; membratim enim in sequentibus capitibus illud præstabo.

21. *Opinio secunda.* — Secunda opinio negat esse necessariam prædeterminationem ad efficacitatem auxilii; fundamentum est imprimis a posteriori, tum quia, posita hujusmodi necessitate, auxilium tantum sufficiens erit de se inefficax, ac subinde non sufficiens; tum etiam quia talis ac tanta efficacitas induceret necessitatem libertati actus contrariam. A priori vero fundamentum est, quia ad salvandam veram efficaciam auxilii sufficit futura causalitas ejus, quæ sit infallibilis in divina præscientia, quam Deus sine dubio habet de hujusmodi futuris sub conditione prius secundum rationem, quam talia auxilia efficaciam seu congrua distribuatur. In modo autem explicandi hanc sententiam est aliqua diversitas, quæ postea per partes tractanda est, et ideo nunc neque auctores refero, neque fundamenta illa amplius urgeo. Nos vero hanc posteriorem

sententiam approbamus et defendimus. Et fundamentum propositum prioris sententiæ evertimus, demonstrando dari in Deo certissimam et infallibilem scientiam veritatum contingentium, non fundatam ex parte objecti in aliquo decreto libero divinæ voluntatis, sed in veritate rei secundum se, ut in secundo prolegomeno tractatum est. Imo, nunc addimus non parum infirmari credibilitatem contrariæ sententiæ, ex eo quod efficaciter persuaderi non potest, nisi negando Deo quamdam scientiam valde conformem infinitæ illius perfectioni, sapientiæ, et altissimæ providentiæ, necnon sanctis Scripturis et Patribus nimis consentaneam, et quæ nec demonstrari potest impossibilis, neque hactenus vel probabiliter persuasum est.

22. Adde denique tam certum mihi esse Deum non prædeterminare illo modo voluntates humanas, neque id esse necessarium ad pie sancteque operandum, ut si vel talem necessitatem prædeterminationis admittere, vel electionem absolutam, aut prædefinitionem actuum liberorum ante præscientiam eorum negare necessarium esset, potius dicerem hoc posterius esse negandum, quam illud prius admittendum. Nam in doctrina fidei certius est dari peccatoribus auxilium sufficiens ad salutem, et auxilium efficacax non tollere libertatem actuum supernaturalium, quam sit certum dari absoluta decreta libera in Deo de futuris actibus liberis ante præscientiam eorum. Et ideo, si oporteret vel illa principia labefactare, admittendo tale genus prædeterminationis, vel illa decreta in illo absoluto sensu non admittere, sed aliter illa interpretari, hoc potius esset eligendum quam prius; sed cum omnia illa dogmata vera sint, inter se non repugnant, nec in eas angustias redigimur, ut alterum ex illis duobus eligere necessarium nobis sit, ut jam tetigimus, et in discursu sequentium capitum planum fiet.

## CAPUT VII.

UTRUM AUXILIUM EFFICAX, NECESSARIUM AD PIE OPERANDUM, SIT POSITUM IN ALIQUA EXCITATIONE PER SE ET EX VI SUE NATURÆ, AD PRÆCISE ENTITATIS, PRÆDETERMINANTE PHYSICE VOLUNTATEM AD CONSENSUM.

4. Ut duæ sententiæ generatim relatæ presius examinentur, et judicium de illis datum verum et solidum ostendatur, per omnes modos discurrere oportet, quibus illæ opiniones

defendi solent vel possunt, ut in illo, qui et principiis fidei magis consentaneus apparuerit, et ad resistendum hæreticis aptior, et minoribus difficultatibus implicatus fuerit, quiescamus. Circa opinionem vero de auxilio prædeterminante tres modi occurrunt, quibus cogitari potest. Primus, quod detur aliquis motus excitantis gratiæ qui natura sua habeat vim hanc prædeterminandi voluntatem, et inevitabiliter illam inducendi in consensum. Secundus est, ut nulla excitatio per se ad hoc sufficiat, sed compleatur virtus illa per aliam motionem realem distinctam ab actu prævio excitantis gratiæ, et ab actu liberi consensus, et quasi media inter illos. Tertius, ut consistat in ipsa immediata productione deliberati consensus, prout ab efficaci voluntate Dei procedit, vel (quod perinde est) ut consistat in efficaci Dei voluntate, qua talem actionem voluntati hominis immittit, eamdemque ad secum cooperandum efficaciter trahit. Ex quibus modis duo primi ad prædeterminationem in actu primo pertinent, tertius ad prædeterminationem in actu secundo, juxta declarationem in superiori capite datam. In hoc ergo capite primum modum, qui facilius est, expediemus.

2. *Dubitandi ratio.* — Ratio igitur dubitandi in puncto proposito est, quia efficacax præveniens auxilium positum est in aliqua excitante gratia, id est, in vocatione quadam alta et secreta, et interna doctrina: ergo necesse est ut detur aliqua excitans gratia, quæ ex se, id est, ex vi sui modi intrinseci hanc efficaciam habeat; ergo illa etiam gratia erit physice prædeterminans voluntatem. Antecedens probatum est late capite præcedenti, ex sententia Augustini, qui testimoniis Scripturæ illud confirmat. Nam gratia illa, de qua loquitur Christus, Joann. 6: *Omnis qui audit a Patre, et didicit, venit ad me*, gratia excitans est, nam consistit in interna doctrina, illuminatione, et inspiratione, et tamen illi tribuit Christus infallibiliter effectum liberi consensus, cum dicit: *Venit ad me*; ut enim notat Augustinus, lib. de Grat. Christi, c. 14, non dixit Christus: *Potest venire ad me*, sed: *Venit; ubi jam* (inquit) *et possibilitatis profectus, et voluntatis effectus, et actionis effectus est.* Nam, ut superius dixerat, *quando Deus docet per Spiritus gratiam, ita docet ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat*, quæ omnia pertinent ad gratiam excitantem. Idemque confirmant omnia quæ de efficaci vocatione, ca-

pite præcedenti, diximus. Consequentia vero prima probatur, quia si excitatio non habeat hanc efficaciam ex se, seu ex intrinseco modo suo, jam non ipsa erit efficacax, sed aliunde proveniet efficaciam ex alio principio vocationi addito, quod accidentarium esset, quod est contra proprietatem verborum Scripturæ et Augustini. Altera etiam consequentia nota est ex declaratione data capite præcedenti, nam idem est prædeterminare, quod ex se infallibiliter effectum inferre.

3. Nihilominus in hoc puncto omnes utriusque opinionis auctores in hoc convenire videntur, quod per solas excitationes non prædeterminatur simpliciter ac physice voluntas: hoc in nostra sententia manifestum est; in aliorum autem opinione patet, tum quia, ob eam rem, præter excitationem, postulant novam motionem prædeterminantem physice, quia solæ excitationes ad hoc non sufficiunt. Unde Ledesma, art. 1, conclus. 1, licet excitationibus tribuat determinationem moralem, de quo statim dicam, addit in fine illius, illam prædeterminationem non esse physicam. Tum etiam quia isti auctores fatentur, ex duobus hominibus habentibus æqualia auxilia præveniētia excitantia, posse unum converti, et non alium, si uni detur auxilium adjuvans prædeterminans, et non alteri; ergo supponunt excitantia auxilia non prædeterminare physice. Imo, ut cap. 5 dixi, ideo negant auxilia excitantia in suo ordine esse efficacax auxilium, quia illa non prædeterminant physice voluntatem, et ipsi putant veram efficaciam in physica prædeterminatione consistere. Ut autem hæc veritas magis declaretur et confirmetur, nonnullis propositionibus distinguenda est.

4. *Assertio.* — *Probatur.* — *Confirmatur.* — Dico primo: ad actum liberum supernaturalem efficiendum, non est necessaria excitans gratia physice prædeterminans voluntatem. Probatur primo ex principiis superiori libro positus de gratia sufficienti. Nam Deus præbet homini, qui non convertitur, vocationem et excitationem necessariam ad salutem, et non dat illi excitationem determinantem voluntatem ejus: ergo talis excitatio determinans non est ad salutem simpliciter necessaria. Et confirmatur, quia si excitatio de se determinans voluntatem est necessaria ut voluntas consentiat, ergo sine illa non potest consentire; ergo sine illa non habet sufficientem excitationem, et consequenter non peccat non consentiendo. Hic vero responderi potest vulgar